

fas non videmus. Loci nostri est felicitas, quam vti
DEVS nobis concedit, ita non inuidebunt nobis, nisi
qui nobis male cupiunt. Illa non superbimus, sed
grati erga DEVM fruimur, nec causas habemus dis-
simulandi, quod coram omnium oculis est. Nihil
praeterea aut decedit honoris aut existimationis aut
integritatis, quotquot alibi sunt, cathedris, dummo-
do veritatem Lutheri illibatam conseruent, & ad po-
steros, quantum in ipsis, nobiscum transmittant;
Cathedra Lutheri non dominium, sed verae doctrinae
societatem amat, quaerit & optat. Hunc cum fi-
nem probe intelligas, amorem intemeratum erga pu-
riorem doctrinam innocenti instituto in illa D. Lu-
theri Cathedra, in qua tot veri confessores constite-
runt, declarare non saltem, verum etiam memoriam
eius rei, redux in patriam, Tecum ferre constitui-
sti. DEVS itaque, quae summa votorum meorum
est, hunc laborum Tuorum Academicorum fructum
Tibi exoptatum, & in patria dulcissima Te organum
auspicatum honoris sui esse iubeat, sicut in nostra Aca-
demia Te Consecraneum Studii Sanctissimi, omnibus
quae requiruntur, dotibus ornatisimum & commen-
darisimum exhibuisti, me equidem cum aliis locu-
pletissimo teste, utpote haecenus Doctore & Hospite
Tuo, imposterum semper non minus Amico constante
& perenni. Dabam Wittebergae die XXIX. Apr.

M DCC XVIII.



Coll. chriss. A 157.2